

Funera

Ut immatura & insperata ita  
acerba & luctuosa,  
*Serenissima Principis ac Dominae,  
Dominae*

**LOVYSÆ CHARLOTTÆ**

Marchionissæ & Principi Electorali Brandenburgicæ Prussia, Mag-  
deburgij, Julix, Clivix, & Montium, Stetini, Pomeranix, ut & in Livonia,  
Curlandix & Semigallix Ducissæ, Principi Halberstadij & Mindæ,  
Comitissæ, Marchix & Ravensburgij Dominae in  
Ravensstein.

Dominae nostræ Clementissimæ

Anno 1676. die 18. Aug. piè defunctæ :

Ut &

*Illustrissimi & Celsissimi Principis ac  
Domini,*

**Dni CAROLI JACOBI,**

In Livonia Curlandix & Semigallix  
Ducis &c. &c.

Domini nostri Clementissimi,

Anno eodem, die 29. Decemb. piè defuncti,  
amaro fletu, cum Tumulo darentur,

Comitata

ANNO Partæ Saluris

M. DC. LXXVII. die 8. Aug.

MITAVIÆ

Ex Officinâ Typographicâ Illustrissimi Principis Curlandix  
Typis Michaëlis Carnall,



**Q**Vam Curlandæ oræ denos ter & amplius annos  
Spectârunt lætæ: nunc obiisse gemunt.  
Plange **DUCEM** Patriæ: Tu Gens Curlandica; Plange  
Tam mitem mœrens plebs populusq; **DUCEM**,  
Illius interitu tenebescunt omnia lætè,  
Ut quum cuncta nigrâ sidera nocte latent.  
Vulnus habes certè non parvum ô torrida, cujus  
Hæc tibi deperit non leve morte decus;  
En! **DUX LOVYSA**, tuum plorat gens subdita funus,  
Illachrumor mortem mœstus & ipse **DUCIS**,  
Triste sonant Urbes, luctus passim omnia complet,  
Quilibet hæc tristis tristia verba facit:  
INTERIT ANTE DIEM CURLANDÆ GLORIA TERRÆ!  
DELICIUM NOSTRUM SUSTULIT ATRA DIES!  
Deliciosa fuit nullumq; relinquit inanem,  
Quisnam igitur siccas possit habere genas?  
Quam mœrore stupet noster Celsissimus Heros,  
Opplentur lachrymis mensq; oculiq; sui:  
Princeps ea imo deducit pectore fletus  
Tristes, & plorat aspera fata sua;  
**O** Decus & vitæ solamen **CHARA LOVYSA**,  
Nulla mihi reliqua est, **TE** moriente, salus,  
**TE** moriente simul mea gaudia mortua cedunt,  
**DUX** oculis nunquam conspicienda meis!

Sic

Sic tristes Viduum sobolemq; Nurumq; Ducalem  
Et Patriam linquis, **DUX CAROLOTTA**, cadens.  
Sic stas Illustri viduatus Principe, Princeps,  
Crudeles Parcas astraq; conspiciens,  
Cui nunc dempta sui est cari pars altera cordis,  
Quis queat ergo tuam non doluisse vicem?  
Nec lachrymas cohibet tristissima Principis aula,  
Quisq; dolet manes, omnibus ora madent;  
Filius ut functum vitâ lugere Parentem,  
Utq; solet lachrymis ora rigare pius:  
Taliter amissam flet Matrem Principis aula,  
Magni cum minimis cum puerisq; senes.  
Illustris luget soboles, orbata Parente,  
Flet tuus ille Decor Filius ipse redux.  
Largifluo quis non hominum deploret Ocello  
Hæc Mitauensis tristia fata Domûs?  
Mensibus exactis paucis cum, Morte subortâ,  
Illustrem Matrem surripuisset edax,  
Hæc non Carnivorus satiatur clade Tyrannus,  
Enecat & dulcem falce mitante **DUCEM**.  
Noster ubi est carus Carolus? Pietatis asylum,  
Princeps Morte bonus, semper amans Patriæ;  
Occidit: & queruli multis est Causa doloris,  
O res lugubri commemoranda stylo!  
O utinam plures potuisses vivere in annos!  
Sed frustra ereptos flesq; dolesq; **DUCES**:  
Nos quoq; quid querimur? voluit Divina Voluntas,  
Quæ quæcunq; facit, non nisi recta facit:  
Parce igitur Princeps lachrymis, depone dolores,  
Velle

Velle DEi potiùs fit quoq; velle Tuum.  
Audi quid dicat vobis Serenissima Mater:  
Vos Nati & Natæ, Tuq; JACOBE, vale!  
Care JACOBE, vale! tua cœlis ora videbo,  
(Quamquam TE serò Sydera adire precor,  
Det Salomonæum regimen, det Mathusalæos  
Annos, Rex Regum, DUX JACOBE, Tibi!  
Respondes Divæ CAROLOTTÆ, candide Princeps;  
Diva vale! æternùm ô Diva LOYSA, vale!  
Tempora speramus cum nos sociabit Olympus  
Noster & æternùm sine carebit amor.  
Ergo vale & placidè dormi, Dilecta LOYSA,  
Veræ & perpetuæ gaudia lucis agas!

Hæc  
In perpetuam Ipsarum Celsitudinum  
memoriam, & testandæ Pietatis  
ac debitæ Obedientiæ ergo  
app.

is qui hoc utitur symbolo:  
Tutus Favore Pii Numinis.

